



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. An rectè S. Paulus percuti jussus, vicissim percussione sit imprecatus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Christus iniuriam, & alapam excepit animo non turbato, docere tamen voluit percutientem; quam iniquè egisset. Et quamquam tunc maxillam alteram non præbuerit, ut ostenderet, quod ius esset innocenter percussio; tamen paulò post, non vnam, sed vtramque maxillam præbuit sæpius diuerberandam, quando ei coronam de spinis imposuerunt; & veniebant ad eum, & dicebant: *Aue Rex Iudeorum: & dabant ei alapas: non vnam alapam, sed alapas, & plus quàm alapas.* Quamobrem ad illud Christi dictum: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur me cadis?* ait idem S. Antistes: *Hic dicit aliquis, cur non fecit Christus, quod ipse præcepit, maxillam ut præberet alteram? Quid? Non solum maxillam alteram iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparauit in ligno, & demonstrauit, sua illa præcepta non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda.*

Ioan, 19. 3.

S Augustin.
tract. 113. in
Ioan,VI.
Añ. 23. 2.S Augustin.
lib. 1. term.
Domini in
monte c. 19.Idem lib. de
mendacio
cap. 15.
Luc. 6. 28.Rom. 12. 14.
1. Cor. 4. 12.S. Greg. lib. 4
Mor. cap. 6
2. Tim. 4. 14.

Gal. 5. 12.

Quod etiam fecit Paulus, qui interim, quando *Princeps sacerdotum Ananias* præcepit astantibus sibi percutere os eius, iustitiæ zelo abreptus dixit ad eum: *Percutiet te Deus paries dealbate.* Non utique tunc præbuit alteram maxillam; sed iniuste iubentem monuit officij sui, & criminis arguit. Ita enim loquitur S. Augustinus: *Paulus Pontificis iussu palma percussus, contumeliosè visus est dicere: Percutiet te Deus, paries dealbate; quod minùs intelligentibus conuitium sonat, intelligentibus verò sanè prophetia est. Paries quippe dealbatus hypocrisis est, id est, simulatio, sacerdotalem præferens dignitatem, & sub hoc nomine, tamquam candido tegmine, interiorem quasi lateam turpitudinem occultans. Ita ut nomine forinsecus niteret, intrinsecus luteis concupiscentijs sorderet.* Quo pacto alibi loquitur idem Pater. Prohibuit quidem Christus, ne quis *malefacientibus malefaciat, maledicat maledicentibus, & imprecetur;* & ipsemet Apostolus idem præcipiens ait: *Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere: & ab se sic factum scribit: maledicimur, & benedicimus, tamen licet quandoque vtrumlibet zelo iustitiæ, & iudiciali potestate, atque sine vindicta liuore, sine odio, ut D. Gregorius obseruat. Quo pacto idem Paulus scribit: Alexander ararius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundùm opera eius: quem & tu deuota: valde enim restitit verbis nostris. Et alibi: Vinam abscindantur, qui vos conturbant. Quo zelo etiam correptus*

correptus fuit Elias, quando duos quinquagenarios, cum subdi-
 dicis sibi militibus, iussit ab igne cœlesti deuorari: & Jeremias, quan-
 do præuaricatoribus iratus orauit: *Congrega eos, quasi gregem ad*
uictimam: quamuis eadem per modum prædicentis potius, quàm
 oprantia dicta videantur. Quo pacto etiam D. Paulus dixit: *Per-*
cutiet te Deus, paries dealbate. De qua sententia loquens S. Chry-
 sostomus ait: *Nonimus quidem, quòd de hoc loco aliqui satisfacientes,*
loco prophetia velint esse, quòd dictum est: nec culpo dicentes: etenim
istud euenit, sicq; defunctus est. Siue autem meræ prædictiones fue-
 rint istæ, siue imprecationes ex zelo prouenientes, rationi conue-
 niebant, neque Christi præcepto aduersabantur: vt enim *qui nos*
docuit sagittare, non vetuit jaculari, sed vetuit, ne aberremus à scopo:
ita non est interdicta punitio, sed in tempore, & aptè facienda. Ex
 quibus intelligimus, legem TALIONIS à Christo non fuisse subla-
 tam, si iusta & illi ipsi, in quem vindicta stringitur, aut certè alijs,
 iustis causa subest; quamuis interea legem illam perficiens, nos ita
 voluerit animo esse ad omnes iniurias præparato, vt non solum
 non simus similes infans, quorum *cùm in animum ira incidit, velut*
sua tempestas, tantos excitat fluctus, vt statum mentis immutet, ar-
descant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vul-
tum maculet nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens: verum etiam,
 vt alteram atque tertiam, & quartam plagam Spartana, immò
 Christiana nobilitate, patientia, & constantia excipiamus.

Interim, quidquid sit de talione, quam vel iure nostro pete-
 re; vel cum merito remittere possumus, illud tamen duplicem pa-
 rit in hominibus fructum, quòd Deus plerumque soleat *lege talio-*
nis plectere damnatos iniuriarum. Primum enim qui nouit iustis-
 simum mundi iudicem nihil mali impunitum relinquere, & verò
 etiam par pari referre, non solum non offenditur, quasi nulla sit
 iustitia mundum administrans; sed libenter quoque Deo relinquit
 ultionem, quam & certam scit esse, & culpæ sufficientem. Dein-
 de accurata talionis expectandæ consideratio, facit magis, quàm
 vlla alia res, malos & ad offendendum pronos, iniurijs abstinere.
Quotus quisq; reperietur, ait Tullius, qui impunitate proposita, absti-
nere possit iniuria? Impunitas peccandi maxima est illecebra: pœna
igitur medicina. At pœna talionis conuenientissima; quia, ob æ-

4. Reg. 1. 101
 Jerem. 12. 3.

S. Chrysoft.
 hom. 6. de
 laudib. Pauli,

Lactant lib.
 de ira Dei,
 cap. 5.

VII.

Cic. lib. 3.
 de offic.